

D I V I
T H O M Æ
A Q U I N A T I S,
D O C T O R I S A N G E L I C I
 AD ANNIBALDUM PRESBYTERUM CARDINALEM
I N C A T E N A M
 SUPER MARCI EVANGELIO EDITAM.

E P I S T O L A D E D I C A T O R I A.

REVERENDO in Christo Patri Domino Hannibaldo, Basilicæ duodecim Apostolorum venerabili Presbytero Cardinali, Frater Thomas de Aquino, Ordinis Fratrum Prædicatorum se totum. Rerum opifex Deus solo suæ bonitatis intuitu cuncta in esse producens, naturalem boni amore omnibus indidit creaturis, ut dum unaquæque res bonum sibi conveniens naturaliter amat, & appetit, quadam conversione mirabili in suum recurrere demonstrat auctorem. Sed in hoc præfertur cæteris rationalis natura, quod ipsum universalem bonitatis fontem per sapientiam intueri potest, & per caritatis amorem suaviter degustare: unde fit ut sapientia bonum, quo, ad ipsum fontem bonitatis accedimus, omnibus humanis bonis secundum recta rationis iudicium præferatur. Hæc est enim quæ fastidium nescit; ita ut quæ eam edit, adhuc esuriat, & qui eam bibit, sitire non cesset. Hæc est quæ intantum peccato repugnat ut qui secundum ipsam operantur, non peccent. Hæc est quæ indeficientem fructum suis ministris largitur, ut qui eam elucidant, vitam possideant sempiternam. Præcellit itaque voluptatis dulcedine, securitate sedes, & regna, utilitateque divitiis universas. Huiusmodi igitur delectatus muneribus; evangelicæ sapientiæ à sæculis in mysterio absconditæ, quam in lucem produxit Dei sapientia incarnata, ministerium expositionis adhibui, Sacrorum Doctorum sententias compilando, ad quod me induxit primitus felicit recordationis Urbani Papæ IV. mandatum. Verum quia, eo Summo Pontifice ex hac vita subtrahente, tria Evangelia, Marci, Lucae, & Joannis exponenda restabant, ne opus quod obedientia inceperat, negligentia imperfectum relinqueret, cum multo labore diligens adhibui studium, ut quatuor Evangeliorum expositionem complem, eadem in omnibus forma servata in ponendis Sanctorum auctoritatibus, & eorum nominibus præferendis. Et ut magis integra, & continua prædicta Sanctorum expositio redderetur, quasdam expositiones Doctorum Græcorum in Latinum feci transferri, ex quibus plura expositionibus Latinorum Doctorum interserui, auctorum nominibus prænotatis. Verum quia congruit ut de laborum fructibus oblationes Sacerdotibus offerantur, Expositionis evangelicæ opus, laboris mei fructum Apostolorum Presbytero censui offerendum: in quo vestra suscipiat auctoritas debitum, ut scientis industria iudicii censuram exerceat, & antiqua dilectio, amoris affectum in offerentis munere comprehendat.

D I V I
T H O M Æ
A Q U I N A T I S,
D O C T O R I S A N G E L I C I
 SUPER MARCI EVANGELIUM CATENA.

P R Æ F A T I O.

Deus meus factus est fortitudo mea, & dixit: Parum est ut sis mihi servus ad fuscitandas tribus Jacob, & facies Israel convertendas. Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Esai. 49. 6.

GLOSSA (super illud *Formans me.*) Vocationem Gentium, & causam salutis eorum Esaias Propheta manifesto prænuntiat oraculo, dicens: *Deus meus factus est fortitudo mea, &c.* Hieronymus super Esaiam (Lib. 13.) In quibus verbis offenditur Christum appellari servum in quantum est formatus ex utero: nam ante verba ista præmittitur hæc dicit Dominus, *formans me ex utero servum sibi.* Fuerat liquidem voluntas Patris, ut pessimi vitiores missum susceperit Filium; unde de ipsis Christus ad discipulos loquitur Matth. 10. „ In viam Gentium ne abieritis; sed ite magis ad oves perditas domus Israel. Quia igitur Israel non est reductus ad Deum, propterea Dei Filius loquitur Judæis non credentibus, dicens: *Deus meus factus est fortitudo mea: qui & consolatus est me super abiectione populi mei, & dixit: (1) Parum est si servias mihi ad fuscitandas tribus Jacob,* quæ suo vicio corruerunt, & ad facies, sive reliquias, Israel convertendas: pro illis enim dedit te in lucem Gentium omnium, ut illumines universum mundum, & salutem meam per quam homines salvi fiunt, usque ad extrema terræ facias pervenire. *Glossa (2)* Ex præmissis igitur verbis duo possumus colligere: quorum primum est divina virtus, quæ fuit in Christo, ex qua efficax fuit ad Gentium illuminationem: quia dicitur: *Deus meus factus est fortitudo mea.* Deus igitur erat in Christo mundum reconcilians sibi, ut Apostolus 1. ad Corinth. 5. dicit: unde & Evangelium, per quod credentes salvantur, „ virtus Dei est in salutem omni credenti; ut idem Apostolus ad Rom. 1. dicit. Secundum autem est illuminatio Gentium, & salus mundi ex dispositione Patris per Christum (2) completa: quia dicitur: *Dedi te in lucem Gentium:* unde post resurrectionem suam Dominus ut dispositionem Patris impleteret, ad prædicandum discipulos misit, dicens Matth. ult. „ Docete omnes gentes: quorum quidam ad prædicandum Judæis, quidam ad prædicandum Gentibus ministerium acceperunt. Quia vero Evangelium oportuit non solum prædicari propter præsentis, sed etiam scribi propter futuros, eadem distinctio est in Scripturis Evangelii observata: nam Mattheus Judæis Evangelium Hebraico sermone scripsit; Marcus autem primum Evangelium scripsit in Gentibus. *Eusebius* in Eccl. Hist. (Lib. 2. cap. 15.) Cum enim Romane urbi clarum Verbi Dei lumen fuisset exortum, sermo veritatis, & lucis, qui per Petrum prædicabatur, universorum mentes placido illustravit auditu: ita ut quotidie audientibus eum nulla unquam satiety fieret: unde neque eis auditio sola sufficiebat, sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exorant, ut ea quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum communionem habendam scripture traderet, quo domi fortique in huiusmodi ver-

(1) Al. omittitur *Parum est si servias mihi.* (2) Al. complexa.

EX EDIT. P. NICOL. (1) Non est in Glossa quæ nunc extat.

bi meditationibus permaneret; nec prius ab obsecrando desistunt quam quæ oraverant, impetrarent; & hæc fuit causa scribendi Evangelium secundum Marcum. Petrus vero ut per Spiritum Sanctum religioso se comperit furto spoliatum, delectatus est; fidem eorum per hoc, devotionemque considerans, factumque confirmavit, & in perpetuum legendam Scripturam Ecclesiis tradidit. Hieronymus super Marcum (a) (in Præfat.) Principium autem (1) à perfectione ætatis Christi prædicatione inchoat, nec laborat in nativitate infantuli qui loquitur de perfectione Filii Dei. Chrysostomus. (2) (b) Compendiosam autem ac brevem narrationem facit, in quo magistrum imitatus est, scilicet Petrum, brevitati studentem. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 1. cap. 30.) Unde Matthæus qui regiam Christi personam narrandam susceperat, habuit Marcum sibi tamquam comitem, & abbreviatorem adjunctum qui sua vestigia quodammodo sequeretur: Regum enim est non esse sine comitum obsequio. Sacerdos autem quoniam in Sancta Sanctorum solus intrabat, propterea Lucas, cuius circa sacerdotium Christi erat intentio, non habuit tamquam socium obsequentem, qui suam narrationem quodammodo breviaret. Beda. (quasi in princ. Com. in Mar.) Notandum est etiam, quod Evangelistæ sancti diversum narrationis suæ primordium, singuli diversum statuere terminum. Matthæus namque à nativitate dominica exordium sumens ad tempus usque dominicæ resurrectionis seriem suæ narrationis perduxit; Marcus ab initio evangelicæ prædicationis incipiens, pervenit usque ad tempus ascensionis Domini; & prædicationis discipulorum ejus cunctis gentibus per orbem; Lucas autem à nativitate præcursoris inchoans Evangelium; terminavit in ascensione dominica; Joannes ab æternitate Verbi Dei principium sumens, usque ad tempus dominicæ resurrectionis evangelizando pertingit. Ambrosius super Lucam (in Præfatione.) Quia igitur Marcus à potentia cœperat expressione divinæ, recte sub Leonis imagine figuratur. Remigius super Marcum. Per Leonem etiam signatur Marcus; quia sicut Leo terribilem vocem in deserto emittebat, sic Marcus à voce in deserto incepit, dicens cap. 1. Vox clamantis in deserto. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 1. cap. 6.) Quamvis & de figura aliter dici possit: Marcus enim qui neque stirpem regiam ut Matthæus, ob hoc per Leonem significatus, neque sacerdotalem ut Lucas signatus per virgulum, vel cognationem, vel consecrationem narrare voluit; & tamen in eis versatus ostenditur quæ homo Christus operatus est, per hominis figuram in illis quatuor animalibus signatus videtur. Theophylactus (in Evang. Marc.) Vel Evangelium secundum Marcum Aquila innuit: à prophetia enim Joannis incepit. Prophetia (3) vero acute quæ à longe sunt, speculatur ut aquila.

(1) Al. additur quia. (2) In Veneta Nicolini editione an. 1593. (super Marcum.) (3) Alenim. Ex edit. P. Nicol. (a) Immo alius Hieronymo dissimilimus Auctor, qui ejus nomine tunc vivebat cum S. Thomas ista scripsit; sed nunc in calce Operum Hieronymi à Mariano Victorio rejectus, ac velut supposititius passim ab omnibus agnitus, ut in ejus inscriptione videre est: quod maxime ab initio ipso notari debet propter alias continuas ejusdem appendices quæ in Operis hujus progressu sub eodem nomine notabuntur. (b) Homil. 4. in Matth.

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM

SECUNDUM MARCUM.

C A P U T I.

(a) **I**nitium Evangelii Jesu Christi Filii Dei. Sicut scriptum est in Esaiâ Propheta: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

(c) Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judæa regio, & Hierosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos ejus, & locustas, & mel silvestre edebat; & prædicabat dicens: Veniet fortior me post me, cuius non sum dignus procumbensolvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizo vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.

(d) Et factum est in diebus illis, venit Jesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à

Joan-

Joanne in Jordane. Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos, & Spiritum Sanctum, tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso: & vox facta est de cælis: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.

(e) Et statim Spiritus expulit eum in desertum. Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à satana; eratque cum bestiis, & Angeli ministrabant illi.

(f) Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam prædicans Evangelium regni Dei, dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum Dei, poenitemini, & credite Evangelio.

(g) Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem ejus missetentes retia in mare: erant enim piscatores. Et dixit eis Jesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus, relictis retibus, secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & ipsos componentes retia in navi, & statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum.

(h) Et ingrediuntur Capharnaum, & statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos. Et stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut scribæ.

(i) Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit dicens: Quid nobis, & tibi Jesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos? Scio quod sis Sanctus Dei. Et comminatus est ei Jesus dicens: Obmutesce, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirent inter se dicentes: Quidnam est hoc? Quanam doctrina hæc nova? Quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ: * quoniam invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum contra ipsum.

(k) Et protinus egredientes de synagoga venerunt in domum Simonis, & Andreæ, cum Jacobo, & Joanne. Decumbebat autem focus Simonis febricitans: qui statim discent eum de illa. Et accedens elevavit eam apprehensa manu ejus: & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis.

(l) Vespere autem facto, cum occidisset Sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes; & erat omnis civitas congregata ad januam. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa ejiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

(m) Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. Et profecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cum venissent ad eum, dixerunt ei: Quia omnes querunt te. Et ait illis: Eamus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni. Et erat prædicans in synagogis eorum in omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.

(n) Et venit ad eum leprosus deprecans eum, & genu flexo dixit: Si vis, potes me mundare. Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam, & tangens eum ait illi: Volo: mundare. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Et comminatus est ei; statimque ejecit illum, & dixit ei: Vide nemini dixeris; sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emundatione tua quæ præcepit Moyses, in testimonium illis. At ille egressus coepit prædicare, & diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifesta introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset. Erat conveniebant ad eum undique.

* Quod sequitur quoniam, &c. Nicolaus omittit; nec est in Bibliis.

(a) **H**ieronymus in Prologo. Marcus Evangelista sacerdotium in Israel agens, secundum carnem Levita, ad Dominum conversus, Evangelium in Italia scripsit, ostendens in eo quid & generi suo deberet Christus. Nam initium Evangelii in voce prophetica exclamationis instituens ordinem leviticæ electionis ostendit, prædicans Joannem Zachariæ filium in voce Angeli emisit, dicens: Initium S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. Jesus. (2) Al. deest dicitur, legiturque Melsias.

V 5

ciach

clach Hebraice, *Christos* Græce, Unctus Latine, idest Rex, & Sacerdos dicitur. *Beda* (in princ. Comm. in Mar.) Conferendum autem est hoc Evangelii principium principio Matthæi quod ait: „Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham:“ hic autem dicitur, *Filii Dei*: ex utroque enim unus Dominus Jesus Christus Dei, & hominis filius est intelligendus. Et apte primus Evangelista Filium hominis eum, secundus Filium Dei nominat, ut à minoribus ad majora paulatim sensus noster assurgeret, ac per fidem, & sacramenta humanitatis assumptæ, ad agnitionem divinæ æternitatis ascenderet. Aptè etiam qui humanam erat generationem describiturus à Filio hominis cœpit, David scilicet, sive Abraham: aptè etiam is qui librum suum ab initio evangelicæ prædicationis inchoabat Filium Dei magis appellare voluit Jesum Christum, quia humanæ erat naturæ de progenie Patriarcharum veritatem carnis suscipere, & divinæ fuit potentia Evangelium mundo prædicare. *Hilarius* (a) (Lib. 2. de Trin. circa medium.) Non autem solo nomine contestatus est Christum Filium Dei, sed etiam proprietate. Nos filii Dei sumus; sed non talis hic Filius: hic enim verus & proprius est Filius originæ, non adoptio; veritate non nuncupatione; nativitate, non creatione.

(b) *Beda* (prope princ. Commen.) Scripturus Evangelium Marcus, congrue primo ponit testimonia Prophetarum, ut eo cunctis sine scrupulo dubietatis suscipienda quæ scriberet intimaret, quo hæc à Prophetis antea prædicta esse demonstraret. Simulque uno eodemque Evangelii sui principio & Judæos qui legem, ac Prophetas susceperant, ad suscipiendam Evangelii gratiam, ac sacramenta, quæ ipsorum Prophetæ prædixerant, insinuit; & Gentiles, qui per Evangelii præconia ad Dominum venerant, ad auctoritatem quoque legis, & Prophetarum suscipiendam, venerandamque provocat: unde dicit: *Sicut scriptum est in Esaiâ Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Hieronymus* de optimo Genere interpretandi (b) (cap. 3.) Hoc autem non scribitur in Esaiâ; sed in Malachia (1) novissimo duodecim Prophetarum. *Chrysostomus* (in Mar. hom. 1.) Potest au-

(1) *Al.* in novissimo. (2) *P. Nicolai* ponit Secans. (3) *Al.* de Quæst. Evang. (4) *Quatur exempla sæpe citata legunt*: Per Malachiam ergo vox Patris sonat ad Filium &c.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Non super Lucam, sicut prius, cum id potius dicat explicando illud Joan. 17. ex verbis Christi *Clarifica Filium suum*; indeque paulo aliter exprimat quam hic priorem appendicem, *Non solum nomine contestatus est esse se Filium &c.* (b) Ad Pammachium epist. 101. (c) De Quæst. Evang. sive potius in Quæst. nov. & vet. testamen. quæst. 57. quæ tamen Augustini non sunt. (d) Ex Augustino usurpata est hæc appendix Lib. 3. de Consen. Evang. cap. 8. non eadem occasione, qua pro Malachia ponatur; Esaiâs, ut hic dicitur; sed potius pro Zacharia & Hieremias,

& venientem in carne Dominum mundo nuntiaret: cum constet omnes qui sacerdotio funguntur ob evangelizandi officium Angelos posse vocari, dicente Propheta Malachia cap. 11. „Labia sacerdotis custodiant scientiam; & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus est Domini exercituum.“ *Theophylactus* (circa prin. Commen. in Mar.) Præcursor igitur Christi Angelus dicitur propter vitam angelicam: & reverentiam excellam. Quod autem dicitur, *Ante faciem tuam*, hoc significat quasi diceret, juxta te est nuntius tuus: unde ostenditur propinquitatem præcursoris ad Christum: etenim juxta Reges ambulant qui propinqui sunt magis. Sequitur: *Qui præparabit viam tuam ante te*: per baptismum enim præparavit animas Judæorum, ut Christum susciperent. *Hieronymus* (in princ. Commen.) Vel via Domini qua ad homines ingreditur, penitentia est, per quam Deus ad nos descendit: & nos ad illum ascendimus: hinc autem initium prædicationis Joannis fuit, Penitentiam agite. *Beda* (super *Ecce ego mitto*.) Sicut autem Joannes Angelus potuit vocari pro eo quod faciem Domini evangelizando prævenit; ita recte appellari & vox potuit, quia Verbum Dei sonando præibat: unde sequitur: *Vox clamantis in deserto.* (a) Constat enim quod unigenitus Filius Verbum Patris vocatur; & ex ipsa nostra locutione cognoscimus quia prius vox sonat, ut verbum postmodum possit audiri. *Hieronymus* (ibidem.) Dicitur autem *vox clamantis*, quia clamor ad furdos, & longe positos, sive cum indignatione fieri solet; quæ Judaico certum est populo evenisse, dum longe est à peccatoribus salus: & aures suas obturaverunt sicut aspides surdæ; & indignationem, & iram, & tribulationem à Christo audire meruerunt. *Chrysostomus*. Per hoc autem quod dicitur, *In deserto*, manifeste ostendit prophetia, non in Hierusalem divina fieri dogmata, sed in deserto. Quod implebatur ad litteram Joanne Baptista in deserto Jordanis Verbi Dei apparitionem salutiferam prædicante. Ostendit etiam sermo propheticus præter desertum quod à Moyse ostensum fuit, ubi semitas faciebat, aliud esse desertum, in quo (1) præsentem esse salutem Christi prædicabat. *Hieronymus* (ibidem.) Vel in deserto fit vox, & clamor, quia desertierant à spiritu Dei, sicut domus vacans, & scopata; deserti etiam à Propheta, Rege, atque Sacerdote. *Beda*. Quid autem clamaret aperitur cum subditur: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. Omnis enim qui fidem rectam, & opera

bona prædicat, quid aliud quam venienti Domino ad corda audientium viam parat; ut hæc scilicet corda vis gratiæ penetret, & lumen veritatis illustret? Rectas autem semitas facit, dum mundas in animo cogitationes per sermonem prædicationis format. *Hieronymus* (ibidem.) Vel aliter, *Parate viam Domini*; hoc est, penitentiam agite, & prædicare: *rectas facite semitas ejus*, ut via regia incedentes proximos nostros ut nos, & nosmetipsos ut proximos diligamus: qui enim semetipsum diligit, & non diligit proximum, ad dexteram declinat; nam multi bene agunt, (2) sed bene non corrigunt, ut fuit Heli: & qui semetipsum odiens, proximum diligit ad sinistram divertit; multi enim bene corrigunt, sed non bene agunt, ut fuerunt scribæ, & pharisæi. Semitæ autem post viam sequuntur, quia mandata moralia post penitentiam explanantur. *Theophylactus* (ibidem.) Vel via est novum testamentum, semitæ vero vetus, quasi attritum: ad viam enim necesse erat præparari, scilicet ad novum testamentum; veteris autem testamenti semitas rectas fieri oportebat.

(c) *Hieronymus* (super *Parate viam Domini*.) Secundum præmissam Esaiâ prophetiam via Domini à Joanne paratur per fidem, & baptismum, & penitentiam; rectæ semitæ sunt per austera indicia vestis ciliciniæ, & zonæ, pellicæ, & cibi locustini, & mellis silvestris, & humilitinæ vocis: unde dicitur: *Fuit Joannes in deserto*. Joannes enim, & Jesus quærent quod in deserto amissum est; ubi vicit diabolus, ibi vincitur; ubi cecidit homo, ibi exurgit. Joannes autem gratia Dei interpretatur; à gratia autem narratio incipit; sequitur enim, *Baptizans*: per baptismum enim gratia datur, qua peccata gratis dimituntur. Quod autem consummatur per sponsum, incipiat per paranympum: unde catechumeni, hoc est instructi, incipiunt per sacerdotem, & chrismantur per Episcopum & ad hoc designandum subditur: *Et prædicans baptismum penitentia in remissionem peccatorum. Beda* (cap. 3. secundum ord. Bedæ.) Lique quia Joannes baptismum penitentia non solum prædicavit, verum etiam quibusdam dedit; sed baptismum in remissionem peccatorum dare non potuit: remissio etenim peccatorum in solo baptismo Christi nobis tribuitur. Dicitur ergo: *Prædicans baptismum penitentia in remissionem peccatorum*: quoniam baptismum quod peccata solveret, quia dare non poterat, prædicabat: ut sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat

(1) *Al.* serpentem esse. (2) *Al.* & non.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Hæc etiam appendix desumpta est ex Gregorio, qui eadem omnino dicit homil. 8. in Evang. super illud Joan. 1. *Ego vox &c.* ut & alia quæ subjunguntur.

verbo prædicationis, ita baptismum penitentiae quo peccata solvuntur præcurreret suo baptizate, quo peccata solvi non possunt. *Theophylactus* (parum à prin. Com. in Marcum.) Baptisma (1) Joannis non habebat remissionem peccatorum, sed penitentiam solam assererat hominibus: prædicabat ergo baptismum penitentiae, hoc est, quo duceret baptismum penitentiae, nempe in remissionem peccatorum, ut hi qui penitentiam agentes, Christum reciperent, remissionem reciperent peccatorum. *Hieronymus* (super *Fuit in deserto Joannes*.) Per Joannem autem sicut per amicum sponsi inducitur sponsa ad Christum, sicut per puerum Rebecca ad Isaac: unde sequitur: *Et egrediebatur ad illum omnis Judaea regio, & Hierosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordane flumine*: „ confessio enim & pulchritudo in conspectu ejus, „ scilicet sponsi: *Psal. 95.* Desilit enim sponsa de camelo, cum humiliat se nunc Ecclesia viso viro Isaac, idest Jesu Christo. Jordanis autem descensio aliena interpretatur, ubi peccata abluuntur. Nos enim olim alienati à Deo per superbiam, per baptismi symbolum humilitati enigimur in alta. *Beda* (cap. 3.) Exemplum autem hinc sumitur constandi peccata, ac meliorem vitam promittendi, eis qui baptismum desiderant, per hoc quod subditur: *Consistentes peccata sua.* *Chrysostramus* (homil. 10. in Matth.) Quia vero Joannes penitentiam prædicabat, penitentiae signa gerebat in vestitu, & cibo: unde sequitur: *Et erat Joannes vestitus pilis camelorum.* *Beda* (cap. 3. in 1. cap. Marci.) Pilis, inquit, vestitus, non lana. Aliud austeræ vestis indicium est, aliud luxuriæ est mollioris. Zona autem pellicea, qua accinctus fuit, ut *Elias*, mortificationis indicium est. Porro quod sequitur, *Et locustas, & mel silvestre edebat*, habitatori solitudinis congruum est, ut non delicias ciborum, sed necessitatem humanæ carnis expleret. *Hieronymus* (super *Erat Joannes vestitus pilis*.) Vestis autem Joannis, & cibus, & potus, totam austeram vitam prædicantium significat, & futuras gentes ad gratiam Dei, quæ est Joannes, intus, & foris esse conjungendas: pilis enim camelidivites Gentium significantur, & zona pellicea pauperes mundo mortui, & locustis errantibus sapientes hujus mundi, qui stipulas Judæis aridas relinquentes, frumenta mystica

(1) Quatuor exempla sæpe citata sic habent. Vel aliter. Baptismus Joannis, etsi non haberet peccatorum remissionem, tamen homines ad penitentiam ducebat. Suum ergo baptismum penitentiae prædicabat; sed hæc prædicatio penitentiae ducebat in remissionem peccatorum; quasi qui penitentes Christum reciperent, in remissionem reciperent peccatorum. *Ex his ipsidem exemplis desumptæ sunt aliæ, si quæ hujusmodi occurrunt, varietates.* (2) *Al.* debet. (3) *Al.* indicativum intelligibilis est. (4) *Al.* cultum. (5) *Al.* desit. qui. (6) *Al.* in partem. (7) *Fortè* protinus.

EX EDIT. P. NICOL. (4) Non est in Glossa quæ nunc extat.

curribus trahunt, & in calore fidei saltus in altum dant, & melle silvestri fideles inspirati de inculca silva saginantur. *Theophylactus* (Mar. 1. super *Vestitus pilis camelorum*.) Vel aliter. Vestis de pilis camelorum doloris erat offensivum, innuente Joanne, quod penitentem dolere (2) oportet. Dolorem enim faccus significat, zona vero pellicea mortificationem judicis significat populi; esca autem Joannis non solum abstinentiam notat, sed etiam est (3) indicium spiritualis escæ, qua tunc populus vescebat, non quid altum intelligens, sed tamen in altum saliens, iterumque se deprimens: talis enim est locusta, in altum saliens, & iterum cadens. Sic igitur & melle quidem vescebat populus, quod erat ex apibus natum, scilicet ex Prophetis, non tamen (4) domesticum, sed silvestre: habebant enim Scripturas Hebræi, sicut mel quoddam; sed non bene intelligebant. *Gregorius* 31. Mor. cap. 19. super illud *Job 39.* „ Numquid „ fuscitabis eum quasi locustas? „ cap. 12. in nov. exemp.) Vel ipsa ciborum specie designavit Dominum quem prævenit (5) qui, quia instructus gentilitatis dulcedinem sumpserat, mel silvestre edit; quia vero Judæorum plebem in suo corpore (6) ex parte convertit, in cibo locustas accepit, quæ subito saltus dantes, protinus ad terram cadunt. Saltus enim Judæi dabant, cum præcepta Domini se implere promitterent; sed ad terram cadebant, cum per prava opera hoc se audisse negarent. Habebant ergo saltum per vocem, & casum per actionem. *Beda* (Mar. 1. cap. 3.) Potest etiam habitus, & victus Joannis qualiter intertæ conversationis ejus exprimeret: namque austerioribus utebatur indumentis, quia vitam peccantium non blandimentis fovit, sed vigore asperæ invectionis increpavit; zonam pelliceam habebat circa lumbos, quia carnem suam crucifixit cum vitulis, & concupiscentiis; locustas, & mel silvestre edebat, quia dulce quiddam sapiebat turbis prædicatio ejus, existimante populo ne ipse esset Christus; sed (7) potius finem sortita est, intelligentibus ejus auditoribus, quia non ipse Christus, sed Præcursor, & Propheta esset Christi. In melle etenim dulcedo, in locustis est alacer volatus: unde sequitur: *Et prædicabat dicens: Veniet fortior me post me.* *Glossa.* (a) Hoc dicebat ad removendum turbæ opinionem, quæ eum Christum

tum esse credebatur; fortiore autem Christum esse prænuuntiat, qui remissurus erat peccata, quod ipse facere non valebat. *Hieronymus* (super *Et prædicabat dicens*.) Quis etiam fortior est gratia qua abluuntur peccata, quam Joannes significat? Ille (1) nimirum qui septies & septuagies dimittit peccata. Gratia quidem prior est, sed semel dimittit peccata per baptismum; misericordia vero ad miseros ab Adam usque ad Christum per septuaginta septem generationes, & usque ad centum quadraginta quatuor millia pervenit. *Chrysostramus* (hom. 11. in Matth.) Ne autem æstimaretur hoc secundum comparationem sui ad Christum dicere, subjungit: *Cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Non est autem idem solvere corrigiam calceamentorum ejus, quod hic Marcus dicit, & calceamenta portare, quod dicit Matthæus. Et quidem narrationis ordinem profectus Evangelistæ, nec in aliquo fallentes, dicunt utrumque Joannem dixisse secundum alterum sensum; commentantes vero circa hoc differenter exposuerunt unumquodque: corrigiam enim vocant ligamen calceamentorum. Ad excellentiam igitur potestatis Christi, & divinitatis magnitudinem extollendam hoc dicit; ac si diceret: Neque in ministri ordine deputari sufficiens sum. Magnum enim est in his quæ sunt corporis Christi quasi procumbendo inferius attendere, & imaginem supernorum inferius videre, & solvere unumquodque inexplicabilem quæ sunt circa mysterium incarnationis. *Hieronymus* (Mar. 1. super hoc loco.) Calceamentum enim in extrema parte corporis est; in fine enim ad justitiam est Salvator incarnatus; unde per Prophetam dicitur *Psal. 59.* „ In „ Idumæam extendam calceamentum meum. „ *Gregorius* (in hom. 7. in Evang. par. à med.) Calceamenta etiam ex mortuis animalibus fiunt. Incarnatus ergo Dominus veniens quasi calceatus apparuit, qui in divinitate sua morticina nostræ corruptionis assumpsit. Vel aliter. Mos apud veteres fuit, ut si quis eam quæ sibi competeret accipere uxorem nollet, ille ei calceamentum solveret qui ad hanc sponsus jure propinquitatis veniret. Recte ergo se indignum esse ad solvendam corrigiam calceamenti ejus denuntiat; ac si aperte dicat: Ergo Redemptoris vestigia denudare non valeo, quia sponsi nomen mihi immeritus non usurpo. *Theophylactus* (Mar. 1. super *Cujus non sum dignus*.) Intelligitur vero etiam sic. Omnes qui veniebant, & à Joanne baptizabantur, per penitentiam solvebantur à ligamine peccatorum in Christum credendo. Igi-

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al.* desit. nimirum. (2) *Al.* unum se fortiozem. (3) *Al.* utroque legitur mysterium, item ministerium.

tur omnium aliorum Joannes sic solvebat corrigiam, idest vinculum peccatorum; Jesu vero non valuit corrigiam solvere, quia non invenit in eo peccatum. *Beda* (Mar. 1. cap. 3. secundum ord. Bedæ.) Sic ergo Joannes Dominum non adhuc manifeste Dominum, aut Dei Filium, sed tantum (2) virum se fortiozem prædicat. Non enim rudes adhuc auditores tantacum piebant arcana sacramenti, quod Filius Dei æternus, homine assumpto ex Virgine, denuotatus esset in mundum; sed paulatim per agnitionem glorificatæ humilitatis introducendi erant ad fidem divinæ æternitatis: quibus tamen lætenter Deum hunc esse verum declarans subdit: *Ego baptizo vos in aqua; ille vero baptizabit vos in Spiritu Sancto.* Cui enim dubium est nullum posse alium gratiam Spiritus Sancti nisi Deum dare? *Hieronymus* (super *Ego baptizo vos*.) Quid enim interest inter aquam & Spiritum Sanctum qui ferebatur super aquas? Aqua (3) ministerium est hominis, spiritus vero mysterium Dei est. *Beda* (Mar. 1. cap. 3. secundum Bedam.) Baptizatur autem à Domino in Spiritu Sancto, non solum cum in die baptismatis fonte vitæ in remissionem peccatorum abluimur, verum etiam quotidie per gratiam ejusdem Spiritus ad agenda quæ Deo placent accendimur.

(4) *Hieronymus* (super *Factum est in debus illis*.) Marcus Evangelista, sicut cervus ad fontes aquarum desiderans, saltus in planis, & arduis dat, & velut apis melliflua flores summatim degustat: unde à Nazareth venientem Jesum enarravit dicens: *Et factum est in diebus illis, venit Jesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Joanne in Jordane.* *Chrysostramus.* Alterum siquidem baptismum ordinans, ad Joannem venit baptismum, quod respectu sui baptismi incompletum erat, à Judaico vero baptismate alienum, tamquam in amborum medio existens, ut per baptismi naturam ostendat, quia non in peccati remissionem baptizatur, aut quasi indigens Spiritus Sancti acceptione: his enim ambobus baptismis Joannis carebat. Baptizatus est autem ut motus omnibus fieret, & in eum crederent; & ad implendum omnem justitiam, quæ est observatio mandatorum: mandatum siquidem erat hominibus baptismum subire Prophetæ. *Beda* (Mar. 1. cap. 4. secundum Bedam.) Baptizatus est, & ut baptismate suo Joannis baptismum comprobaretur, & ut Jordanis aquam sanctificans, per descensionem columbæ, Spiritus Sancti in lavacro credentium monstraret adventum: unde sequitur: *Et statim ascendens de aqua, vidit apertos celos, & Spiritum Sanctum*

nam tamquam columbam descendente, & manentem in ipso. Aperiuntur autem cæli non reformatione elementorum, sed spiritualibus oculis, quibus Ezechiel in principio voluminis sui eos apertos esse commemorat. Hoc autem, quod apertos cælos post baptismum vidit, nostri, utique gratia factum est, quibus per lavacrum regenerationis janua panditur regni cælestis. *Chrysostrmus* (a) (homil. 12. in Matth.) Vel ut de cælis hominibus sanctificatione tribuatur, ac terrena cælestibus conjugantur. Spiritus autem sanctus super eum descendisse dicitur, non tamquam tunc primum ad eum accesserit (non enim ab eo umquam fuerat derelictus) sed ut ostenderet Christum qui à Joanne prædicabatur tamquam digito quodam fidei omnibus demonstratum. *Beda* (ubi supra.) Quod etiam in baptismum descendere visus est Spiritus Sanctus, signum erat conferendæ nobis in baptismum gratiæ spiritualis. *Hieronymus* (Mar. 1. super *Ego baptizavi vos aqua*.) Hæc est unctio Christi secundum carnem, scilicet Spiritus Sanctus, de qua dicitur Psal. 44. „Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ confortibus (1) tuis.“ *Beda* (Mar. 1. cap. 4. secundum ord. *Bedæ*.) Bene autem in specie columbæ descendit Spiritus Sanctus, quod multum simplex est animal, atque à malitia fellis alienum, ut figurate nobis insinuet quia simplicia corda quærit, nec habitare dignatur in mentibus impiis. *Hieronymus* (Mar. 1. super *Cujus non sum dignus &c.*) In specie etiam columbæ Spiritus Sanctus descendit, quia in Cantico, cap. 2. de Ecclesia canitur: „Sponsa, fa mea, amica mea, dilecta mea, columba mea.“ Sponsa in Patriarchis, amica in Prophetis, proxima in Joseph, & mea dilecta in Joanne Baptista, columba in Christo, & Apostolis, quibus dicitur Matth. 10. „Estote prudes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.“ *Beda* (ubi supra.) Sedit autem (2) columba super caput Jesu, ne quis putaret vocem Patris ad Joannem factam, non ad Dominum. Bene autem addidit, *Manentem in ipso*: hoc enim est Christo speciale ut implens eum semel Spiritus Sanctus numquam recedat. Nam fidelibus ejus ad signa virtutum, & miracula faciendâ aliquando gratia Spiritus confertur, aliquando tollitur; quibus tamen ad operationem pietatis, & justitiæ, ad amorem Dei, & proximi conservandum numquam gratia Spiritus abest. Ipsum autem qui baptizandus cum

(1) *Al.* ejus. (2) *Al.* mittitur columba. (3) *Al.* post filios. (4) *Al.* cum adolescentibus. (5) *Al.* scilicet quando.

Ex edit. P. Nicol. (a) Velut ex hom. 12. in Matth. editio Antverpiensis notat, sed nihil ibi huc pertinens nisi columbam ideo visam esse ut veluti vice digiti Filium Dei demonstraret.

aliis ad Joannem venit, verum esse Filium Dei in Spiritu Sancto baptizare volentem vox Patris docuit; unde sequitur *Et vox facta est de cælis: Tu es Filius meus dilectus; in te complacui*. Non autem per hoc ipse Filius quod nesciebat docetur; sed nobis quid credere debeamus ostenditur. *Augustinus* de Con. Evan. (Lib. 2. cap. 14. circ. med.) Unde Matthæus cap. 17. ait dictum esse: „Filius meus dilectus:“ quia ostendere voluit ad id valere quod dictum est, „Hic est Filius meus,“ ut illis potius qui audiebant indicaretur, quod ipse Filius esset Dei. Si autem quæris quid horum in illa voce sonerit; quodlibet accipe, dummodo intelligas eos qui non eandem locutionem retulerunt, eandem retulisse sententiam. Quod autem Deus in Filio sibi placuisse videatur, admonemur ex eo quod dictum est, *In te complacui*. *Beda* (Mar. 1. & cap. 4. secundum *Bedam*.) Nos quoque vox eadem docuit per aquam ablutionis, & Spiritum Sanctificationis Dei (3) posse filios effici: mysterium etiam Trinitatis in baptismo demonstratur. Filius baptizatur, Spiritus descendit in specie columbæ, Patris vox Filio testimonium perhibentis auditur. *Hieronymus* (super *Et factum est in diebus illis*.) Moraliter & nos de volubilitate mundi, odore florum, & munditie tracti, (4) cum adolescentulis post sponsum currimus, & baptismi sacramento de duobus fontibus dilectionis Dei, & proximi, gratia remissionis abluimur, & ascendentes spe cælestia secreta mundi cordis oculis intuemur. Dehinc Spiritum Sanctum spiritu contrito & humiliato cum simplici corde descendente ad mansuetos, & cum caritate nunquam cadente manentem fuscipimus. Et vox Domini de cælis ad nos à Deo dilectos dirigitur: „Beati, pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.“ Matth. 5. & tunc in nobis complacet Pater cum Filio, & Spiritu Sancto, (5) quando effecimus unus spiritus cum Deo.

(c) *Chrysostrmus* (hom. 13. in Matth.) Quia Christus omnia ad doctrinam nostram operabatur, & sustinebat, incepit post baptismum ab eremi habitatione, & pugnavit contra diabolum, ut unusquisque baptizatorum tentationes majores patienter sustineat post baptismum, nec turbetur tamquam præter spem hoc contingente, sed omnia sustinens maneat triumphator. Bti enim Deus permittit tentationes fieri multis aliis modis, ob hoc etiam permittit, ut

cognoscas quod homo tentatus in majori honore constituitur: non enim accedit diabolus nisi tibi aliquem in majori honore viderit constitutum: & ideo dicitur: *Et statim expulsi eum Spiritus in desertum*. Propter hoc autem non ostendit eum simpliciter euntem in desertum, sed expulsum, ut hoc intelligas fieri juxta divinæ dispositionis verbum: per quod etiam innuit, ne homo seipsum in tentationem ingerat; sed aliunde in tentationem quasi expulsos victores existere. *Beda* (Mar. 1. cap. 5. secundum ord. *Bedæ*.) Verum ne cui veniret in dubium à quo eum spiritu expulsus diceret in desertum, (1) consulte Lucas primo posuit cap. 4. „quod Jesus plenus Spiritu Sancto regressus est à Jordane:“ ac deinde intulit: „Et agebatur à Spiritu in desertum:“ ne quid contra eum valuisse spiritus putaretur immundus qui plenus Spiritu Sancto, quo volebat digrediens, quæ volebat agebat. *Chrysostrmus* (hom. 13. in Matth. non rem. à princ.) Expulsi autem eum Spiritus in desertum: quia enim diabolum ad tentandum provocare pronebat, non solum fame, sed etiam loco occasione dedit: tunc enim maxime diabolus se ingerit, cum videt aliquos solitarios permanentes. *Beda* (Mar. 1. cap. 5. secundum ord. *Bedæ*.) Secedit etiam in desertum, ut nos doceat relicti mundi illecebris, & societate pravorum, divinis per omnia servite mandatis. Tentatur solus à diabolo, ut nobis insinuet quia „omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutiones patiuntur.“ 2. Tim. 3. unde sequitur: *Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à satana*. Tentatur autem quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ut indicet quia quandiu hic viventes Domino servimus: sive prospera blandiantur, quod ad dies pertinet, seu adversa fiant, quod noctis figuræ congruit, toto tempore adversarius adsit, qui iter nostrum tentando impedire non cessat: quadraginta enim dies & noctes totum hujus sæculi tempus insinuant: quia quadripartitus est mundus, in quo Domino famulamur; decem vero sunt præcepta per quorum observantiam contra hostem certamus; decem autem quater ducta, quadraginta sunt.

Sequitur: *Eratque cum bestiis*. *Chrysostrmus*. (a) Hoc autem dicit ut ostendat quale erat desertum: invium enim erat hominibus, & bestiis plenum. Sequitur: *Et Angeli ministrabant ei*. Post tentationem enim, & victoriam contra diabolum, operatus est hominum salutem. Et si-

cut Apostolus dicit Heb. 1. „Angeli in ministerium mittuntur propter eos qui hereditatem capiunt salutis.“ Notandumque est, quod vincenti tentationem assunt Angeli ministri. *Beda* (ubi supra à med.) Considerandum etiam, quod Christus inter bestias commoratur ut homo; sed ministerio sancti angelico ut Deus. Et nos cum in eremo sancti conversationis bestiales hominum mores impolluta mente toleramus, ministerium Angelotum meremur; à quibus corpore absoluti ad æternam beatitudinem transferemur. *Hieronymus* (super *Factus est in diebus illis*.) Vel tunc bestia pacatæ nobiscum sunt, sicut in arca animalia munda cum immundis, cum caro non concupiscit adversus spiritum: post hoc Angeli ministri mittuntur nobis, ut responsa, & solatia cordibus vigilantibus dent.

(f) *Chrysostrmus*. Marcus Evangelista Mattheum in ordine sequitur; & ideo postquam dixit Angelos ministrare, subjungit: *Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam*. Post tentationes, & Angelos ministrantes recedit in Galilæam, insinuans nos non resistere violentiis malignorum. *Theophylactus* (Mar. 1. super *Secessit in Galilæam*.) Et ut ostendat nobis quod in persecutionibus decet recedere, & non expectare, cum vero incidimus, decet sustinere. *Chrysostrmus*. Recedit etiam ut ad doctrinam, & sanationes seipsum conservaret, priusquam pateretur; hisque omnibus adimpletis fieret obediens usque ad mortem. *Beda* (cap. 5. à med.) Joanne tradito, recte incipit Dominus prædicare: unde sequitur: *Prædicans Evangelium regni Dei*. Desinente enim lege consequenter oritur Evangelium. *Hieronymus* (super *Postquam traditus est Joannes*.) Cessante umbra, adest veritas; Joannes in carcere, lex in Judæa, Jesus in Galilæa, Paulus in Gentibus prædicans Evangelium regni. Regno enim terreno succedit paupertas, paupertati Christianorum regnum tribuitur sempiternum. Honor autem terrenus spumæ aquæ, vel fumo, vel somno comparatur. *Beda* (cap. 5. in Matth.) Nempe autem putet traditionem Joannis in carcerem statim (2) post jejunium quadraginta dierum Domini factam: quisquis enim Evangelium Joannis legerit, inveniet, Dominum ante traditionem Joannis multa docuisse, & multa miracula fecisse: habes enim in Evangelio ipsius cap. 11. „Hoc fecit initium signorum Jesus:“ & postea: „Necdum enim erat missus Joannes in carcerem.“ Fertur autem quia cum legisset Joannes Matthæi,

(1) *Al.* occulte. (2) *Al.* post tentationem quadraginta dierum, & jejunium Domini factam. Ex edit. P. Nicol. (a) Aliquid ex his obiter insinuat hom. 13. in Matth. ut supra; sed alia potius Victor Antiochenus Tom. 1. Biblioth. Patrum, etiam minus expresse quam hic.

Marci, & Lucæ volumina, probaverit quidem textum historię, & vera eos dixisse firmaverit; sed unius tantum anni, in quo & passus est, post carcerem Joannis, historiam tenuisse. Prætermisso itaque anno cuius acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam clauderetur Joannes in carcere, gesta narravit. Cum ergo dixisset Marcus, quia *venit Jesus in Galileam, prædicans Evangelium regni*, subjungit dicens: *Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum Dei. Chrysostomus.* Siquidem completo tempore, quando scilicet venit plenitudo temporis, misitque Deus Filium suum, conveniens fuit humanum genus ultimam consequi Dei dispensationem: & ideo dicit, quod *appropinquabit regnum Dei.* Regnum autem Dei idem est secundum substantiam cum regno cælorum, quamvis differt ratione: regnum enim Dei intelligitur quo Deus regnat; hoc vero est in regione viventium, quando facie ad faciem Deum videntes, in bonis promissis existunt. Sive amorem quis velit suscipere illam regionem, sive aliquam aliam confirmationem eorum qui imaginem induunt superiorum, quæ per cælum intelliguntur. Satis enim apparet est quod regnum Dei neque loco, neque tempore concluditur. *Theophylactus* (super *Quoniam adimpletum est.*) Vel completum esse dicit Dominus tempus legis; quasi diceret: Usque ad tempus præsens operabatur lex; amodo operabitur regnum Dei, quod est secundum Evangelium conversatio; quæ convenienter assimilatur regno cælorum. Cum enim vides aliquem carne indutum secundum Evangelium vivere, numquid non dices quoniam iste habet regnum cælorum, quod non est esca, & porus; sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto?

Sequitur, *Pœnitentini.* *Hieronymus* (super *Pœnitentini, & credite Evangelio.*) Pœnitentiam enim agit qui vult æterno bono, scilicet regno Dei, adherere. Qui enim desiderat nucleum, frangit nucem. Amaritudinem radicis, dulcedo pomi compensat; periculum maris, spes lucri delectat; dolorem medicinæ, spes salutis mitigat. Præconia autem Christi illi narrare digne possunt qui ad palmam indulgentiæ meruerunt pervenire: & ideo postquam dixit, *Pœnitentini, subjungit, Et credite Evangelio:* nam nisi crederitis, non intelligetis. *Pœnitentini* igitur, & *credite*; idest, renuntiate operibus mortuis: quid enim prodest credere sine bonis operibus? Non tamen bonorum operum meritum adducit ad fidem; sed fides incipit, ut bona opera consequantur.

(1) *Al.* in eloquentia Dei.

Ex edit. P. Nicol. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat.

(g) *Glossa.* (a) Posita prædicatione Christi ad turbas, agit Evangelista de vocatione discipulorum, quos fecit suæ prædicationis ministros: unde sequitur: *Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem ejus. Theophylactus* (super *Vidit Simonem, & Andream.*) Sicut Joannes Evangelista refert, præcursoris erant discipuli Petrus, & Andreas. Videntes vero quod Joannes de Jesu testimonium dederat, adjuncti sunt ei; post hæc dolentes, quia Joannes traditus erat, ad artem propriam sunt reversi: unde sequitur: *Mittentes retia in mare: erant enim piscatores.* Vide autem eos de laboribus propriis enutritos, & non ex iniquitate: tales enim digni erant Christi primi discipuli fieri: unde subditur: *Et dixit eis Jesus: Venite post me. Nunc secundo illos vocat: est enim hæc secunda vocatio respectu illius quæ legitur in Joanne. Ad quid autem vocatur, ostenditur cum subditur: *Faciam vos fieri piscatores hominum. Remigius.* Quia per rete sanctæ prædicationis, pisces, idest homines de profundo pelagi, idest infidelitatis, ad lucem fidei traxerunt. Admiranda autem est ista piscatio. Pisces enim cum capiuntur, mox moriuntur; homines cum capti sunt, verbo prædicationis potius vivificantur. *Beda* (cap. 6. secundum ord. Bedæ.) Piscatores autem, & illiterati mittuntur ad prædicandum, ut fides credentium in virtute Dei, non (1) in eloquentia, atque in doctrina esse putaretur.*

Sequitur: *Et protinus, relicta retibus, secuti sunt eum. Theophylactus.* Non enim oportet intervallum facere; sed statim sequi Dominum. Post hos vero piscatur Jacobum, & Joannem; quia & illi pauperes existentes, tamen selectam nutriebant paternam: unde sequitur: *Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi. Reliquerunt autem patrem, quia in sequela Christi eos erat impediurus. Sic & tu cum à parentibus impeditis, relinque eos, & accede ad Deum. Ostenditur autem quod Zebedæus non creditur; mater vero Apostolorum credidit, quæ secuta est Christum mortuo Zebedæo. Beda* (cap. 6. in princ.) Quæri autem potest quomodo binos vocaverit de naviculis piscatores, primo Petrum, & Andream, deinde progressus paululum alios duos filios Zebedæi; cum Lucas dicit cap. 7. Jacobum, & Joannem vocatos fuisse ad adjuvandum Petrum, & Andream, & Christum Petro tantum dixisse: „Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens: simul tamen, subductis ad terram navibus, eos fuisse securos. Unde intelligendum est, hoc primo esse fac-

factum quod Lucas insinuat, & postmodum ad capturam piscium eos ex more remeasse, ut potius fieret quod Marcus hic narrat. Tunc enim secuti sunt Dominum, non subductis ad terram navibus, tamquam cura redeundi, sed tamquam vocantem, ac jubentem ut sequerentur. *Hieronymus.* Myllice autem hac quadriga piscatorum vehimur ad æthera, ut Elias; his quatuor angulis construitur prima Ecclesia; his quatuor litteris Hebraicis *tragrammaton* nomen Domini agnoscitur, a nobis, quibus simili exemplo præcipitur ut audiamus vocem Domini vocantis, & obliviscamur populum vitiorum, & domum paternam conversationis, quæ est futilitas. Deo, & ree araneatur, in quo nos velut culices pene lapsos tenet aer (1) inanis, qui pendet in nihilum, navem præterita conversationis abominantes. Pelibus enim mortuis regitur Adam, qui est genitor posteræ secundum carnem; & nunc, deposito vetere homine cum actibus suis, novum sequentes hominem, pelibus regimur Salomonis, quibus sponsa gloriatur se esse formosam factam. Simon autem obediens, Andreas virilis, Jacobus supplanans, Joannes gratia in Latino sonant: quibus quatuor nominibus (2) in agmen Domini conjungimur, obedientiam ut audiamus, virilitatem ut pugnemus, supplantationem ut perseveremus, gratiam ut conservemur: quæ quatuor virtutes cardinales dicuntur: per prudentiam enim obediemus, per justitiam, virilitatem agimus, per temperantiam serpentem calcamus, per fortitudinem gratiam Dei mereamur. *Theophylactus* (Mar. 1. à med. Comm.) Scias (3) item primum hic vocari actionem, deinde contemplationem: Petrus enim active symbolum est, ferventior enim erat aliis, sicut activa est; Joannes vero contemplationem significat, plus enim de rebus divinis discessit Joannes.

(b) *Hieronymus* (Mar. 1. immediate ante illud, *Et ingrediuntur Capharnaum.*) Marcus ducta Evangelii in seipso, (4) non in seipsis disponens, ordinem historię non secutus, mysteriorum ordinem servat: unde sabbatis primam virtutem narrat, dicens: *Et ingrediuntur Capharnaum. Theophylactus* (ibid.) A Nazareth recedens. In die autem sabbati, quando scribæ congregabantur, tunc docens synagogam intravit: unde sequitur: *Et statim sabbatis angustus & Thom. Oper. Tom. VIII.*

(1) *Al.* omittitur inanis. (2) *Al.* in imaginem. (3) Quatuor supra citata exempla sic leguntur: Sciendum est etiam, hoc quoniam primo vocatur actio, deinde contemplatio. Qui quidem est circa Petrum, actionem significat; qui vero circa Joannem, contemplationem: Petrus enim fortissimus, & magis sollicitus aliis; Joannes vero Theologus fuit excellentissimus. (4) *Al.* deest non in seipsis. (5) *Al.* festare. (6) *Al.* omittitur pro. (7) *Al.* populo. (8) *Al.* incipit. Mortis auctorem primo debuit &c. (9) *Al.* cernebant. (10) *Al.* prædicationem suam dicebat: dæmonium, lege dæ-

in synagogam docebat eos: etenim lex ad hoc sabbatis (5) otio vacare jubebat, ut lectioni succedentes convenirent in unum. Docebat autem Christus arguendo, non adulando, sicut pharisæi: unde sequitur: *Et stupebant super doctrinâ ejus; erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut scribæ.* Docebat etiam in potestate, transmutans homines ad bonum, & per potestatem non credentibus minabatur. *Beda* (cap. 6. in Mar. 1.) Scribæ etiam docebant populos quæ scripta sunt in Moyse, & Prophetis; Jesus vero quasi Deus, & Dominus ipsius Moyse (6) pro libertate voluntatis suæ, vel ea quæ minus videbantur, addebat in lege, vel commutans prædicabat (7) populi, ut in Mathæo legimus cap. 5. „Dictum est antiquis... ego autem dico vobis.“

(1) *Beda* (cap. 7. secundum ordinem Bedæ.) Quoniam (8) invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, ideo contra ipsum mortis auctorem primo debuit medicina salutis operari; & ideo dicitur: *Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo. Chrysostomus.* Spiritus quidem Angelus, & aer, & anima nuncupatur, & etiam Spiritus Sanctus. Ne igitur propter communicationem nominis, in errorem decidamus, addit, *Immundo:* immundus autem dicitur propter impietatem, ac elongationem à Deo, & quia omnibus immundis, & pravis operationibus se immiscet. *Augustinus* de Civitate Dei (Lib. 9. cap. 20. & cap. 21.) Contra superbiam porro dæmonum quantam virtutem habeat Dei humilitas, quæ in forma servi apparuit, ipsi dæmones ita sequuntur ut eidem Domino infirmitate carnis induto hæc exprimerent: sequitur enim: *Et exclamavit dicens: Quid nobis, & tibi Jesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos.* Clarum est in his verbis quod in eis & scientia erat, & caritas non erat: potestatem quippe suam formidabant ab illo, non in illo justitiam diligebant. *Beda* (Mar. 1. cap. 7. secundum ordinem Bedæ.) Dæmones enim Dominum in terris cernentes, se continuo judicandos (9) credebant. *Chrysostomus.* Vel hoc ita dicit, quasi diceret: Auferens immunditiam, divinamque imponens cognitionem hominum animabus, nobis locum in hominibus non das. *Theophylactus.* Exire enim ab homine (10) perditionem suam existimat dæmon: immisericordes enim existunt dæ-

dæmones, malum aliquod pati se exultantes cum homines non molestant.

Sequitur: *Solo quod ijs Sanctus Dei. Chryso-
stomus.* Quasi diceret: Considero adventum
tuum: non enim firmam ac certam adventus
Dei habebat notitiam. Sanctum autem dicit
eum, non usum de pluribus, quia & sanctus
erat uniusquisque Prophetarum: sed unum eum
esse denuntiat: per articulum enim qui in Græ-
cō ponitur unum ostendit: per timorem vero,
omnium Dominum recognoscit. *Augustinus* (Lib.
9. de Civit. Dei cap. 21.) Tantum enim eis
innotuit quantum voluit: tantum autem voluit
quantum oportuit. Sed innotuit non sicut An-
gels sanctis, qui eum, secundum id quod est
(1) Dei Verbum, participata æternitate per-
fructantur: sed sicut eis terrendis innotescendus
fuit, ex quorum tyrannica potestate fuerat li-
beratus prædestinatus. Innotuit ergo dæmo-
nibus, non per id quod est vita æterna, sed per
quædam temporalia suæ virtutis effecta, quæ
angelicis sensibus etiam malignorum spirituum
potius quam infirmorum hominum possint esse
conspicua. *Chrysostomus.* Non autem volebat ve-
ritas testimonia spirituum immundorum: unde
sequitur: *Et comminatus est ei Iesus, dicens: Ob-
mutesce, & exi de homine.* Unde dogma saluti-
ferum nobis datur, ne credamus dæmonibus
quantumcumque denuntient veritatem. Sequit-
ur: *Et disperpens eum spiritus immundus, &
exclamans voce magna exiit ab eo.* Quia enim
homo ille tamquam sapiens loquebatur, ac dif-
crete verba proferebat, ne putaretur quod non
ex dæmone, sed ex corde verba componeret,
virum disperpsit permisisit a dæmone, ut osten-
deret dæmonem esse qui loquebatur. *Theophy-
lactus* (super *Et disperpens eum.*) Ut (2) viden-
tes cernerent a quo malo liberabatur homo, &
propter miraculum crederent. *Beda.* Potest au-
tem videri contrarium, quomodo disperpens,
vel, sicut quidam codices habent, convexans
eum exiit, cum nihil ei nocherit secundum
Lucam. Sed & ipse Lucas dicit cap. 4. „Et
cum projecisset eum dæmonium in medium,
exiit ab eo, nihilque ei nocuit.“ Unde intel-
ligitur hoc dixisse Marcum, *Convexans eum,*
sive *disperpens*, quod Lucas dicit, „Cum pro-
jecisset eum in medium.“ & quod secu-
tus ait, „Nihilque ei nocuit,“ hoc intelligitur,
quod illa iactatio membrorum, atque vexatio
non eum debilitavit, sicut solent dæmonia exire
etiam quibusdam membris amputatis, aut avul-
sis. Vifa autem virtute miraculi, novitatem do-

(1) *Al. deest Dei.* (2) *Al. Et ut.* (3) *Al. omittitur* Appropinquante salute. (4) *Al. deest*
modo.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat.

semper annuere fidelium, & ea nonnumquam
quæ ipsi minime intelligunt, vel intelligenda
quæ, vel pie petentibus, etiam non intellecta,
dimittere, juxta id quod Psalmista postulat
Psalm. 18. (1) „Delicta quis intelligit? Ab-
oculis meis munda me, Domine.“ Unde
& hic rogatus sanat: sequitur enim: *Et accedens
elevavit eam apprehensa manu eius, Theophylactus*
(Mar. 1. super *Socrus Simonis.*) Per hoc signi-
ficatur, quod si aliquis infirmatur, a Deo cura-
bitur: si sanctis ministraverit ob Christi amo-
rem. *Beda* super *Lucam* (cap. 4.) Quod au-
tem sabbatis maxime medicinæ doctrinæque
suæ dona frequentat, docet se non sub lege esse,
sed supra legem, nec Judaicum eligere sabbat-
um: dilectamque Domino esse requiem, si sa-
luti studentes animatum ab opere servili, id est
a cunctis contineamus illicitis. Sequitur: *Et
continuo dimisit eam febris: & ministrabat eis.*
Sanitas quæ Domini confertur imperio, simul
tota redit, tanto robore comitante, ut eis con-
tinuo qui se adjuvant, ministrare sufficiat. Si
autem virum a dæmonio liberatum, moraliter
animum ab immunda cogitatione purgatum sig-
nificare dixerimus: convenienter femina a fe-
bribus ad imperium Domini curata carnem of-
tendit a concupiscentiæ suæ fervore, per conti-
nentiæ præcepta frenatam. *Hieronymus* (ubi su-
pra.) Febris enim intemperantiam significat, de
qua nos filii synagoga: per manum disciplinæ,
desiderii elevatione sanatur, & hujus qui sa-
nat nos ministramus voluntati. *Theophylactus*
(ut supra.) Febricitat autem qui irascitur, ut
ex ira manus effrenatas extendat, sed si ratio
retineat manum ejus, surgit, & sic ratio mi-
nistrat.

(1) *Theophylactus* (super *Et cum sol occi-
disset.*) Quia turbæ considerabant neminem li-
cere die sabbati curare, hujus gratia solis ex-
pectabant occasum, ut curandos ad Jesum ad-
ducant: unde dicitur: *Vespere autem facto, cum
occidisset sol.*

Sequitur: *Et curavit multos qui vexaban-
tur variis languoribus. Chrysostomus.* Per hoc au-
tem quod dicit multos, omnes (2) oportet in-
telligere, juxta Scripturæ consuetudinem. *Theo-
phylactus* (ubi supra.) Vel multos dicit: erant
enim quidam infideles, qui minime curati sunt
propter incredulitatem eorum. Multos ergo
ex oblati sanavit, illos scilicet qui fidem habe-
bant.

Sequitur: *Et dæmonia multa eiciebat, &
non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. Au-
gustinus* de *Quæst. nov. & vet. testam.* (cap. 66.)

(1) *Al. omittitur* Delicta quis intelligit? (2) *Al. debet.* (3) *Al. deest* Dei.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Quod sequitur sub nomine Chrysostomi, habet Victor Antiochenus.

Sciebat enim dæmonia Christum esse, qui per
legem fuerat reprimisus: omnia enim signa vi-
debant in eo quæ dixerant Prophetæ: myste-
rium autem divinitatis ejus ignorabant: sicut
& principes eorum, „Si enim cognovissent,
numquam Dominum majestatis crucifixif-
sent.“ *Beda* (cap. 8. secundum ord. *Bede.*)
Quem enim dierum quadraginta jejuniu fatiga-
tum diabolus hominem cognoverat, nec ten-
tando valuit an Dei Filium esse, experiri: jam
nunc per signorum potentiam vel intellexit, vel
potius suspicatus est esse Filium (3) Dei. Non
igitur ideo Judæis eum crucifigere persuasit,
quia Dei Filium non esse putavit, sed quia se
morte illius non prævidit esse damnandum.
Theophylactus (Mar. 1. super illud, *Et non sine-
bat.*) Ideo autem non sinebat loqui dæmonia,
docens nos non credere eis, etiam si vera di-
cent: si enim invenerit aliquos sibi credentes,
veritatibus mendacia miscet. *Chrysostomus.* Non
est autem contrarium ei quod hic dicitur hoc
quod Lucas dicit cap. 4. quod „exibant dæ-
monia à multis clamantia, & dicentia. Quia
tu es Christus Filius Dei:“ subjunct enim;
Et increpans non sinebat ea loqui. Marcus enim
multa sub brevitate pertransiens, circa finem
prædictorum verborum loquitur. *Beda* (cap. 8.
secundum ord. circ. medium.) Mystice autem
solis occubitus passionem, mortemque signifi-
cat illius qui dixit Joann. 8. „Quamdiu in
mundo sum, lux mundi sum:“ & sole oc-
cidente plures quam ante dæmoniaci, & ægro-
ti sanantur, quia temporaliter in carne vivens
paucos Judæorum docuit, omnibus per orbem
Gentibus fidei, salutisque dona transmisit.
Hieronymus (Mar. 1. super *Et erat omnis civitas.*)
Janua autem regni moraliter poenitentia est cum
fide, quæ operatur salutem languoribus variis:
varia etenim sunt vitia quibus languescit civi-
tas mundi.

(m). *Theophylactus* (Mar. 1. super *Et mane
diluculo.*) Postquam Dominus infirmos cura-
vit, seorsum recedit: unde dicitur: *Et diluculo
valde surgens, egressus abiit in desertum locum:* in
quo docuit nos non facere aliquid ad apparen-
tiam, sed, & si boni aliquid operantur, non
propalare.

Sequitur, *Ibique orabat, Chrysostomus.* (a)
Non quia oratione indigeret, ipse enim erat qui
hominum orationes suscipiebat: sed hæc qui-
dem dispensative agens, forma bonæ operatio-
nis nobis est factus. *Theophylactus* (super *Abiit
in desertum locum.*) Ostendit enim nobis quod
Deo debet attribui, si aliquid boni facimus, &
ei

ei debemus dicere: Quoniam omne datum optimum desuper est descendens à te.

Sequitur: *Et prescatus est illum Simon, & qui cum illo erant. Chrysostr. Lucas autem dicit turbas accessisse ad Christum, & dixisse quod Marcus hic dicit, dixisse Apostolos, subdicens: Et cum venissent ad eum dixerunt ei: Quia omnes quarant te. Non autem invicem contradicunt: suscepit enim Christus & post Apostolos turbam conjungi Christi pedibus anhelantem. Gaudens autem eos suscipere: sed volebat eos dimittere, ut & reliqui doctrinæ ejus participes essent, tamquam non multo tempore in mundo moraturos: & ideo sequitur: *Et ait: Eamus in proximos vicus, & civitates, ut & ibi prædicem.* Theophylactus (super *Eamus in proximos vicus*.) Transit enim ad illos magis indigentes: quia doctrinam concludere non convenit in uno loco, sed ubique radios ejus extendere.*

Sequitur: *Ad hoc enim venit. Chrysostr. (a) In quo manifestat exinanitionis, id est incarnationis mysterium, & divinitatis suæ dominium, cum scilicet asserit sponte in mundum venisse. Lucas vero dicit cap. 4. „Ad hoc missus sum,“ demittens dispensationem, & Dei Patris bonam voluntatem de Filii incarnatione.*

Sequitur: *Et erat prædicans in synagogis eorum in omni Galilæa. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 19.) In hac autem prædicatione quam dicit eum habuisse in omni Galilæa, intelligitur etiam sermo Domini habitus in monte, cujus commemorationem facit Matthæus; quem Marcus omnino non commemoravit, nec aliquid simile ei dixit, nisi quasdam sententias non contextim, sed sparsim repetivit, quas Dominus aliis locis dixit. Theophylactus (super *Prædicabat in synagogis*.) Doctrinæ autem operationem immiscuit: prædicans enim postmodum fugavit demonia: sequitur enim: *Et hæmonia ejiciens: nisi enim offenderet Christus miracula, ejus sermone non crederetur: sic & tu post doctrinam, operare, ut non sit in te vacuum tuus sermo.* Beda (Marc. 1. cap. 8. secundum ord. Bedæ.) Mystice autem si occasu Solis mors exprimitur Salvatoris, quare non disculo redeunte resurrectio ejus indicetur? Cujus manifestata luce abiit in desertum Gentium, ibique in suis fidelibus orabat, quia corda eorum per gratiam Sancti Spiritus ad virtutem orationis excitabat.*

(n) Beda (ubi supra.) Postquam lingua ser-

(1) Al. miraculis. (2) Al. intelligendum est.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Tale aliquid insinuat etiam Victor Antiochenus ubi supra, sed expressius appendicem sequentem quæ rursus Chrysostr. nomine insignitur (b) Hieronymus in Matth. 8. cap. ex quo mutuatus est Beda: sed passivum imperativum *cararjstet* (seu *mundare*) novavit Hieronymus, quod Beda præmittit.

perstina dæmonum obclata est, & foemina, quæ primo seducta est, à febre cutata, tertio vitæ, qui male suadentis dicta conjugis audivit, ab erroris sui lepra sanndatur, ut ipse. esset ordo resaurationis in Domino, qui erat ordo causæ in protoplastis: unde sequitur: *Et venit ad eum leprosus deprecans eum. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 19.)* De hoc leproso mundatio talia Marcus connectit, ut ipse intelligatur quem Matthæus commemorat: tunc esse mundatum quando Dominus post sermonem de monte descendit. Beda (Marc. 1. cap. 9.) Et quia Dominus ait Matth. 5. „Non veni solvere legem, sed adimplere,“ ille qui excludatur à lege, purgari se Domini potestate præsumens, non ex lege, sed supra legem esse gratiam indicavit quæ leprosi maculam posset ablueret. Verum sicut in Domino potestatis auctoritas, ita in illo fidei constantia declaratur: sequitur enim: *Et genu flexo dixit: Domine, si vis, potes me mundare.* In faciem incidit, quod humilitatis est, & pudoris, ut unusquisque de vitæ suæ (1) maculis erubescat: sed confessionem verecundia non repræsit: ostendit vulnus, & remedium postulavit; & ipsa confessio religionis, & fidei plena est; in voluntate enim Domini tribuit potestatem. Theophylactus (Marc. 1. super *Domine si vis*.) Non enim dixit, Si Deum deprecatus fueris, sed *si vis*; quasi ipsum credens Deum. Beda. De voluntate autem Domini non quasi pietatis incredulus dubitavit, sed quasi collationis suæ conscio non præsumpsit. Sequitur: *Jesus autem miseratus ejus, extendit manum suam, & tangens eum ait illi: Volo: mundare; (b) Non, ut plerique Latinorum putant, (2) injungendum est, & legendum: Volo mundare; sed separatim, ut primum dicat, Volo, deinde imperet, Mundare. Chrysostr. (hom. 21. in oper. imperf. super Matth.)* Propter hoc autem leprosum tangit, & non solo verbo contulit sanitatem, quia in lege à Moyse dictum est Levit. 22. „Qui leprosum tetigerit, immundus erit usque ad vesperum.“ Ut enim ostendat quod secundum naturam est hæc immunditia, & quod lex non erat propter eum posita, sed propter homines puros, & quod ipse est proprie Dominus legis, & quia non sicut servus infert, sed sicut Dominus, sanitatem leprosum tetigit congruenter, non tamen existente necessario tactu ad curationis operationem. Beda (Marc. 1. cap. 9. ante med.) Ideo etiam tetigit ut probaret quia

contaminari non poterat qui alios liberabat. Simulque illud mirabile quod eo sagavit genitæ quo fuerat oblectatus. *Si vis*, inquit leprosus, potes me mundare. Volo, inquit: ecce habes voluntatem: mundare; & jam habes pietatis effectum. Chrysostr. Per hoc autem non solum opinionem leprosi non destruxit, sed magis confirmavit: verbo enim morbum fugat, & quod leprosus verbo dixerat, (1) hoc opere adimplevit: unde sequitur: *Et cum hoc dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est.* Beda (ubi supra.) Nihil enim medium inter opus Dei atque præceptum, quia in præcepto est opus: dixit enim, & facta sunt. Psal. 48.

Sequitur: *Et comminatus est illi, statimque eiecit eum, & dixit ei: Vide nemini dixeris. Chrysostr. Quasi diceret: Tempus nondum est mea opera prædicari: tua non indigeo prædicatione. Per hoc autem docet nos ex nostris operibus honorem apud homines pro retributione non querere. Sequitur. *Sed vade, ostende Principi Sacerdotum.* Propter hoc autem hæc ad Sacerdotem mittit Salvator, ad probationem medelæ, & ne extra templum fieret, sed in oratione cum populo computetur. Mittit etiam, quæ sunt legis adimplens, ut Judæorum linguam maliloquam obturaret. Opus quidem ipse complevit, probationem operis illis dimittens. Beda (ubi supra in med.) Ut scilicet intelligeret Sacerdos, eum non legis ordine, sed gratia Dei supra legem esse curatum.*

Sequitur: *Et offer pro emundatione tua quod præcepit Moyses, in testimonium illis. Theophylactus (in fine Coment. in cap. 1. Marc.)* Præceptum quidem munus offerre quod habebant in consuetudine qui mundabantur offerre, tamquam in hujusmodi testimonium quod non erat contra legem, sed magis legem confirmabat, in tantum quod ipse legis operaretur præcepta. Beda (ubi supra à medio.) Si quem vero movere quomodo Dominus judaicum videtur approbare sacrificium, cum id non recipiat Ecclesia, meminerit quod nondum obtulerat in passione holocaustum suum. Non autem oportebat autem significancia sacrificia priusquam illud quod significabatur, confirmatum esset contestatione Apostolorum prædicantium, & fidei credentium populorum. Theophylactus (parum à fine Comm. in 1. cap. Marc.) Leprosus autem, quamvis Dominus prohibuerit, beneficium patefecit: unde sequitur: *At ille egressus cepit predicare, & diffamare sermonem.* Oportet enim beneficium gratum esse, & gratias redere, etiam si beneficiatus non indigeat. Grego-

S. Thom. Oper. Kom. VIII.

Z 5

CA.

(1) Al. hic, (2) In editione Veneta Nicolini ad marginem hæc appingitur nota: Id habet Beda cap. 9. parum à fine, (3) Al. quærit, (4) P. Nicolai ponit plateanis, (5) Al. deseruerunt, (6) Al. desitio.

rius (2) 20. Moral. (cap. 18.) Merito autem (3) quæritur quidnam sit quod Dominus quæ gessit, abscondi jussit, & nec ad horam potuerunt abscondi? Sed notandum. Miraculum faciens taceri jussit, & tamen taceri non potuit, ut videlicet electi ejus, exempla doctrinæ illius sequentes, in magnis quæ faciunt latere, quidem in voluntate habeant, sed ut protine aliis, prodantur invisi. Non ergo voluit quicquam fieri, & minime potuit; sed quid velle ejus membra debeant, quid ve de eis etiam nolentibus fieri, doctrinæ magisterio exemplum dedit. Beda. Unius autem perfecta salvatio multas ad Dominum cogit turbas: unde subditur: *Ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset. Chrysostr. (cap. 9. secundum ord. ejus à med.)* Leprosus enim ubique prædicabat mirabilem curationem, ita ut omnes currebant ad visum, & fidem curantibus: ut propter hoc Dominus in civitatibus evangelizare non posset, sed in eremis conversaretur: unde sequitur: *Et conveniebant ad eum undique. Hieronymus (Marc. 1. super *Et erat prædicans*.)* Mystice lepra nostra peccatum primi hominis est, quæ à capite cepit quando regna mundi desideravit: radix enim omnium malorum est cupiditas: 1. Tim. 6. unde Giesi avaritiam secutus lepra suffunditur. Beda (cap. 9.) Extenta vero manu Salvatoris, hoc est incarnatio Dei Verbo, humanamque contingente naturam, ab erroris prisce varietate mundatur. Hieronymus (ubi supra.) Quæ quidem lepra vero Sacerdoti secundum ordinem Melchisedech ostensa, oblatione mundatur: eo dicente nobis Luc. 11. „Date elemosinam, & omnia munda sunt vobis,“ bis. Quod autem non poterat Jesus manifeste in civitatem introire, &c. significatur quod non omnibus manifestatus est Jesus, qui lætis, atque (4) plateis servium laudibus, & propriis voluntatibus; sed his qui foras cum Petro exeunt, & in desertis locis sunt, quæ elegit Dominus ad orandum, & reficiendum populum, qui scilicet (5) deserunt delectationes mundi, & omnia quæ possident, ut dicam, Portio mea Dominus. Glorie vero Domini manifestatur his qui conveniunt undique, id est per plana, & ardua, quos nihil potest separare à caritate Christi. Beda (Marc. 2. cap. 10.) Post factum etiam in civitate, miraculum fecerit Dominus in desertum, ut ostendat se magis quietam, & à sæculi curis remotam diligere vitam, atque ob hujus appetitum, (6) se sanandis curam adhibere corporibus.